

**05**

**A**

**2036**





I.

P.

M.

1000





I. N. J.  
MEDITATIONES PHYSICÆ  
DE

INCENDIO  
SYLVATICO

prope  
SCHMIDEBERGAM  
Publico Eruditorum examini  
submittebdæ

*Ad d. XX. Octobr. A. O. R. M. DC. LIX.*


In Auditoriô Veteri,  
*Horis Pomeridianis,*

P R Æ S I D E

M. THEODORO KIRCHMAIERO,  
Uffenhemensi,

&

RESPONDENTE  
ELISÆO GIRBERTO,  
Baruthinô,  
FRANCIS.



WITTEBERGÆ,  
Literis MICHAELIS Wende.

*M. G. ...*





A. M. J.  
MEDITATIONES PHYSICAE  
DE

IN GENIO

SYLVATICO

propo

SCHMIDBERGAM

Publico Examinatum



05 A 2036

RESPONDIT  
FRANCIS GILBERTO


FRANCIS

Licentia MICHAELIS GUNDE

M. Schmidberg







*Feliciter!*



St oppidum duobus abhinc  
distans milliariibus, *Schmideberga*  
dictum, quod non unis in locis ignis  
subterranei ostentat flammam. Rara in  
Germaniâ avis hæc dum est, ideoque à  
curiosis ex viciniâ diebus ferè singulis  
invisitur. Vulcanum, ibi suam lo-  
casse sedem diceret. Ita, loci nomen convenit rei, ita  
res nomini! Hoc de Naturæ opere nonnulla relationes pu-  
blicæ dederunt nuper; quanquam falsa etiam cum veris. Nos  
benevolo lectori, quæ partim ipsi accuratè vidimus, partim à  
probatissimis incolis, quibus observata sunt, accepimus, bonâ fide  
referemus. Causas verò scrutabimur & alia ad materiam præ-  
sentem necessaria.

## QVÆSTIO I.

*Unde ortum suum habeat Ignis subterraneus  
Schmidebergensis?*

*Resp.* A Deo habet ortum per creationem, quicquid ignis  
est in terrâ. Cùm enim optimus naturæ Opifex videret, sine  
igne in eadem omnia perpetuo damnata gelu cessatura mox ab  
omni propagatione esse, hinc rebus ut succurreret, per uni-  
versum geocosmum mediantibus pyrophyllaciis diffudit  
ignem. Hic, quicquid intus est, conservat, fovet ac instau-  
rat; perinde ac in corpore humano anima singulis partibus præ-  
sentis-



sentissima calore suo ac spiritibus omnes agitavit vivificatque.  
Qualia igitur naturalia ac munia ignis subterranei in genere sunt,  
talia & non alia sunt etiam nostratis. Neque enim dubitan-  
dum, quin ignis ille, verè subterraneus sit ignis. Nam ubi-  
cunqve in terrâ est Vulcanus (*utor verbis Athanasi Kircheri*  
*Mund. subterr. Lib. 4. sect. 1. p. 182.*) ibi subtus dari pyro-  
phylacium, tam certum est, quam certum, camino subesse vel  
culinam, vel fornacem, vel cacabum, vel simile quid. Ubi  
autem dantur pyrophylacia, ibi ipsum dari ignem subterra-  
neum, necesse est.

## QVÆST. II.

*Quando Ignis subterraneus Schmidebergen-  
sis per incendium primùm fuerit ma-  
nifestatus?*

*Resp. Petrus Albinus in Chronico Misnicò montan. Tit.*  
*25. pag. 188. factum id asserere videtur paulò ante annum 1590,*  
*quò eundem librum edidit in lucem. Verùm res incerta.*  
Quis enim in tantò silentiò Scriptorum firmiter pronunciare  
possit, eum seculis antiquioribus non arsisse. Utcunq; sit, memo-  
riam hominum si consulamus, ante annos quinquaginta circiter  
restauratum esse incendium, sed evanuisse tamen iterum suc-  
cessu temporis, comperimus. Hòc annò ex sepulchrò quasi de-  
nuò emerit quatuordecim post festum paschatis diebus.  
Quousq; duraturum sit, futurum tempus edocebit. Nescio  
quam ob causam in Naturâ tot incendia in unum annum con-  
spirârint. Nemo est, qui tragœdias Æneas, ante aliquot men-  
ses non summo cum stupore legerit. Sic relatum quoq; nuper  
est ex Anglia, quod prope Wieddenbourgum oppidum mons  
tantos evomat flammaram bolos, ut ipsis etiam accolis incutiat  
terrorem.

QVÆST.



### QVÆST. III.

*Ubinam & qualis ille locus specialis sit, quem ignis subterraneus Schmidebergensis depascit?*

*Resp.* Est convallis ferè plana sub ingressum saltus, quæ facere iter Schmideberga solent Diebam. Distat à prædicto oppido ad partem quartam milliariis. Latitudo est egregia, & utrinque collibus duobus clausa. Longitudo verò in enorme spatium excurrit. Terra ipsa graminosa, ac betulis, pinis, aliisque genus id arboribus vestita est. Hunc locum sibi vendicat pro focò ignis. In montibus quidem gratius habet hospitium comòdiusq; ob cavernas plures & majora æstuaria. Sed, obstante minùs eò, sæpè tamen habitat planitiem. Affert *Plinius* Lib. 2. cap. 106. in rem præsentem multa. Ait: *Campus Babylonie flagrat, quædam veluti piscina jugeri magnitudine. Item Æthiopum juxta Hesperium montem stellarum modò campi noctu nitent. Similiter in Megalopolitanorum agrò, tametsi internus sit ille jucundus, frondemq; densi supra se nemoris non adurens, & juxta gelidum (Dalechampus legit Egelidum) fontem semper ardens. Nymphæ crater dira Apolloniatis suis portendit, ut Theopompus tradidit. Augetur imbribus, egeritq; bitumen, temperandum fonte illò ingustabili; alias omni bitumine dilutius. Sed mirandum magis, quod in mediò mari Hiera, Insula Æolia, juxta Italiam cum ipso mari arserit per aliquot dies sociali bello. Ad recentiora veniendum. In Styriâ certè ignis, imperante Maximiliano, per agrum latè Ebeswaldiensem est grassatus. Simile legitur contigisse Weidæ in Vogtlandia Anno 1549. Præ ceteris verò faciunt rem testatam campi, *Plinio* Phleggræi dicti ( *Strabo* vocat Valeani forum.) qui ubiq; cum sulphureò odore velut è fornacibus emittunt fumos & perpetuum alituri intus incendium videntur.*



## QVÆST. IV.

*An tractus iste à dicto igne subterraneo, an aliunde sit accensus?*

*Resp.* Nonnulli cives ignorantiam responsi loco afferunt. Alii contra incautius accensum eum augurantur à pastore. Quod etiam ibidem suo ævo accidisse memorat *Albinus*. Similem conjecturam fovet *Agricola* Lib. 4. de natura eorum, quæ effluunt &c. de incendio *Zviccaviensi*. Ait: *Verum ignis, qui in Misena est, principium hominum atas non novit. Quia verò in superficie tantum ardet, verisimile est, illum quoque, sicut alii quidam, ab homine primum accensum fuisse.* Quod idem repetit *Fossilium* libro 2. de ortu & caus. subterr. Clariùs hoc & confidentiùs *Albinus* tradit. Verba ejus reddita Latine ita habent: *Circa Annum 1479, mons Zviccaviensis est accensus, cum venator persecutus vulpem humum fortè plumbeâ glande percuisset, quâ carbones fossiles mox ignem conceperunt.* Verum utut fieri istud sit possibile per naturam, cum simile queat simile elicere; factum tamen esse *Schmidebergæ*, valdè dubitamus. Non in unâ enim planitie parte ignis cepit agere, sed in unâ atque alterâ simul. Magis igitur probabile, ignem subterraneum suò impetu materiam illam combustibilem, cum jam maturuit, aggressum esse. Benè de incendio *Widensis* agri in *Vogtlandia* *Fabricius*:

*Plena Narischorum cum tellus arsit in agrò,*

*Ter curvâ nondum falce resecta Ceres.*

*Nec dedit hoc damnum pastor, nec Jupiter igne;*

*Vulcani per se ruperat ira solum.*

## QVÆST. V.

*An alibi etiam in Germaniâ hòc modò ignis se viat?*

*Resp.* Omninò: Et non ita quidem procul. Audiamus *Agricolam* in *Fossilibus* lib. 2. de ort. & caus. subterr. ita differentem:



tem: In iis Hermunduris, quos Misenos hodie vocant, mons carbonum, qui abest à Zviccà oppido ad duo millia passuum semper ardet. Materiam non prorsus admotam, sed ex intervallo quatuor pedum distantem ignis corripit. Cum suo tempore viret, tamen semper continet in se ignem comburentem saepe numero substructiones eorum, qui id bitumen effodiunt, interdum betulas, quibus mons vestitus est. Horum carbonum fodinae, cum Anno 1505. me adhuc puero iterum accensa essent, non aliter, ac olim Ætna aut Vesuvius (Auctor hyperbolicè videtur loqui) evomuerunt flammam, ut urbi etiam, quæ tamen abhinc ad tertium ferè lapidem distat, timorem incuterent. Hodie, uti referunt, novellæ, adhuc durat incendium. Habet autem pro fomite carbones fossiles, qui sunt genus quoddam bituminis sic terræ excoctum calore, ut atrum & leve sit, perinde atque carbo, attamen pingve. Agricola hos vocat *γῶδες*, sicut Leodienses *λιθῶδες* ac verè lithanthraces. Plura hujusmodi spectacula dari in Germania vix dubitaverim. At quid mirum verò, si terram, eamque combustibilem accendat ignis, cum in ipsam etiam aquam extremè sæviat. Lippis ac tonsoribus notum, per communem nostram patriam plurimas thermas scaturire, quarum aliquot in tantum fervent, ut usui esse non possint, nisi aut in apertò evanuerint, aut mixturâ frigidæ intepuerint. *Carolina* certè ac *Badenses*, Agricola Tr. c. lib. 1. c. 14. *Albinog*, l. c. testibus, tam fervidæ emanant, ut ova sine coquis coquant, capones, porcellos vitulosque integros depilent, & ocyus quovis ex sandaracâ vel calce psylotrô glabra reddant. De aliis non dicam. Universum earum catalogum exhibet *Kircherus* in *Mundo subterraneo*, lib. 3. sect. 3. de Thermis. p. 263. cap. 15. p. 532. & *Dilberrus* in *seiner Christlichen Feld, Weld und Garten Betrachtung*. c. 15. p. 532. Fidem verò omnem tantum non excedit, quod præter *Plinium*, *Baronium*, *Kircherum*, *P. Franciscus Riccardus* *ἀντόπης* commemorat, subterraneos ignes per ipsū archipelagum prope Santorinium, Insulam, aliquoties erupisse. Testimonium ejus extat in *Mundò subterraneo Kircheri*. Verba digna huc transcribi ita habent: Si unquam prope Santorinium ignes in terræ visceribus



scribis conclusi vim antea suam, ut *Plinius* cum *Baronio* con-  
 firmat, exercuerunt, tùm maximè, quando anno 1650. d. 24.  
 Septembris usq; ad 9. Octobr. tot ingentibus & tam frequenti-  
 bus terræ motibus insulam illam concusserunt, ut Santerinenses  
 ruinam proximam sibi metuentes diu noctuq; aris supplices ad-  
 volverentur. At dici nec explicari potest, quantus timor  
 omnes invaserit, cum ruptis obicibus victrices illæ flammæ  
 viam sibi facere per medias æquoris undas contenderunt, qua-  
 tuor circiter milliaribus ab Insula Santerinensi versus Orientem.  
 Siquidem repente mare intumuit ad triginta sursum cubitos,  
 lateq; per vicinas terras se extendens obvia quæq; evertit, adeò,  
 ut in ipsò *Candiæ* portu, qui tamen 80. milliaribus distat, &  
 triremes & naves repentino impetu confregerit. Aër verò  
 vaporibus illis maleolentibus & sulphureis infectus & obtene-  
 rescere & innumera coepit induere; hinc lances igneos &  
 enses flammivomos vibrari, illinc coruscantes sagittas emitti  
 hinc velut terribiles serpentes & dracones volitare, illinc ful-  
 mina & fulgura cieri vidisses. Tantam autem pumicum mul-  
 titudinem ignea illa vorago evomuit, ut totam pelagi superfi-  
 ciem contegerent, ita ut vix navigio incedere posset aliquis  
*Smyrnæ* usque & *Constantinopolin* delatos fuisse, littoraq; ve-  
 omnia complevisse, certissimum est. Et videtur aliquando revi-  
 viscere; Siquid animadversum est, multoties illic mare fer-  
 vescere, fumumq; cum undis attollere, maximè autem anno  
 1650. die II. Januarii & tribus sequentibus.

## QVÆST. VI.

*An incendium Schmidebergense aquâ non  
 extinguatur?*

*Resp.* Extrema inter aquam atq; ignem est inimicitia ob  
 extremam qualitatum dissimilitudinem. Repugnat è diame-  
 trô caliditas frigiditati, siccitati humiditas. Incendia cum  
 oriun-



oriuntur, non ad aërem vel terram, sed ad aquam commodè  
recurritur. Domat aqua ignem, tyrannicum istud, juxta Zo-  
roastrem, & indomabile animal. Fugit hic, fugat illa. Lo-  
quimur autem non de aqua falsâ. Hæc enim cum pingvedine  
imbuta sit, potius promovet incendia, quam tollit, quàm ex-  
tingvit. Hinc lucernæ etiam falsuginosis puteis injectæ magis  
illicò ac magis ardent. At non semper vincit aqua. Sæpè  
etiam ignis copiosior compefcit hostem, & exhalando vehe-  
mentius repellit. Testis rei Schmidebergicus Vulcanus est.  
Defluerunt mense Juliô præteritò imbres magni per octiduum  
& amplius dierum. Ille tamen non est passus decrementum:  
Quin suas potius uniendo vires fortior evasit, ac latius quoti-  
diè in campis serpsit. Et certè verisimile videtur etiam, dum  
viribus abundat ignis, nec frigora hyberna, nec pluvias nivesq;  
eum esse suppressura, sed fore citius, ut in ferventiores iis ani-  
metur flammæ. Haud secus ac in focò fabri aspergo aquæ fol-  
liumq; flatus adeò instaurat æstum, ut virtute ejus emollitum  
ferrum in quamcunq; redigi figuram possit.

## QVÆST. VII.

*Cur Ignis Schmidebergensis non perpetuò, sed  
per intervalla saltem flagret?*

*Resp.* Quamquam immensam vim incendiorum in exter-  
nâ superficie telluris liceat spectare, plurima tamen certò tem-  
pore intermoriuntur, & post multorum demum memoriam  
annorum rursus prorumpunt. Est in ignivomis horrendus  
mons Ætnæus, qui non continuò horrendis sævit stragibus.  
Verbis fidem facit Historia. Tempora ultima tacebo, cum sa-  
tis istud doceant propinquiora. Anno post Christum natum  
1160. legitur circumscita quæcunq; loca ingenti truculentiâ ever-  
tisse, cum ecclesiæ Cathedralis Catanensis ruinâ, & monacho-  
rum abbatisq; *Johannis* interitu. Aqua cessavit 1169. Idem in-  
cendium repetiit sub mortem *Caroli*, Regis Siciliae & Arago-  
niae



niæ Anno 1284. Anno 1329. denuò exæstuavit mons ad annum usque 1333; ut & Anno 1444. usq; ad 47. Item Anno 1536. usque ad 37. & Anno 1633. usque ad 39. Anno 1650. ex Septentrionali & Orientali plagâ disruptis hinc inde lateribus tantum ignium evomuit, ut Brontium metalli liqvefacti igneò torrente in ultimum ferè discrimen excidiumq; deduxerit. Similis rediit paroxysmus Anno 1660. Præ cæteris verò memorabilis est ille, qui hòc ipso anno contigit, accolasqve diem novissimum expectare fecit. Intonuerat multos dies assiduus in monte fragor, quem secuta vehementissima est flamma omnia devastans, saxa projiciens, petras detrudens, sylvas incendens. Cinis cum lapidibus ad aliquot milliaria per aërem dissipatus cœlum atrâ nube texit, & circumjacentia latè loca opplevit. Adhæc ex formidabili barathrò montis egressus igneus est amnis maximæ latitudinis, qui stygis forsan nomine Poëtis olim venerat. Quantum ex novellis colligere est, furor iste, induciis nunc factis, cessat. Quod huc usque observavimus in Ætnâ, in Vesuviò aliisque Vulcaniis œconomis idem datur observare. Quietem hanc alternam *Kircherus* M. subter. cap. 3. p. 175. & *Itin.* exstat. II. Dialog. I. de Aquæ Nat. p. 542. judicat contingere, vel quod materia combustibilis deficiat; vel quia meatus ex combustis terræ glebis obstruantur, vel subterraneorum inundationum diffusionem camini oppleantur. Quæcunque tandem causa in aliorum ignium defectu militet; Nos hîc asserimus pro certò, Vulcanum Schmidebergicum tamdiu operari, quamdiu combustibilis materiæ fomes durat. Qui verò ubi postea cessaverit, & illum consequenter necesse est cessare, donec novâ supellectile ditatus denuò erumpat foràs, & vel novas, vel antiquas incendiorum stationes repetat.

### QVÆST. VIII.

*Quenam Cause Incendii Schmidebergensis sint?*

*Resp.* Efficiens proxima est ignis subterraneus, quem latent-



rentes flatus, ceu efficiens remota, follium instar suscitant. Ut autem iste ventilari rite possit, terra cum aëre cavernosa necessario requiritur. Materiam quod attinet, non una ea est ac simplex, sed composita (*& quidem ut nos existimamus, salvo aliorum Judicio*) ex bitumine, sulphure, saleq; ac luto. Sulphur ac bitumen, principia cognata valdè, odor gravis prodit & inflammabilitas. De luto dubitare neminem *avroψia* sinit. In superficie quidem loci terra, usta nondum, est subnigra; at intrò si fuerit ventum, argilloso. Quæ & ipsa facit, ut si ejus fortè pars avulsa incendatur, ignis rapidè non ardeat, sed faciliùs extingvatur. Aliàs bitumen purum, flammam semel concipiens, tantum abest, ut extingvi possit, ut potius affusâ etiam aquâ vehementiùs inflammari soleat. Sal verò cum diximus adesse, non tam fixum, quàm volatile intelligendum. Chymicò enim terram si examines, non exiguum sanè deprehendes. At ubi ea dissoluta est per ignem, & in cinerem redacta, partes hujus potissimæ cum igne avolârunt, paululâ saltem face remanente, quæ per cinerem colatam aquam vix sensibili sapore imbuunt. Fides si habenda incolis, æs etiam materiæ se admiscet. Quamquam non commune juxta illos toti hoc est tractui, sed peculiare tantum iis locis, quæ ærariis olim fabricis destinata erant.

### QVÆST. IX.

*Quanta ignis Schmidebergensis sit violentia?*

*Resp.* Maxima. Destruit enim obvia quæcunq;, & in Cinerem transmutat, alium flavum, alium gryseum, pro majori vel minori hujus illiusve principii materialis copiâ. Nec facile limitibus se patitur includi. Tentârunt quidem Cives eundem fossâ terminare. Frustra. Deduxerunt in hanc fossam ex finitimâ piscinâ aquam. Frustra. Qui enim subter ipsum mare & anfractûs terræ invios progreditur, & hîc subter fossam se ocyus



promovit. Meminit in Contagiosis morbis *Fracastorius* Lib. 2. pag. 200. Herpetis, (morbum hunc vulgò Sylvaticum appellant ignem) quod prioribus relictis membris ad alias serpat partes, transferentibus se pustulis & vicina loca depascentibus. De sylvatico nostrate igne appositè dicas idem. Hic enim indies in latitudinem excresecit, & dum majores jugiter acquirit vires, lapides quoque duros in suum pabulum convertit. Istud verò retulerunt falsò nuperæ novellæ, quod equitem correptum fortè devorârît, atque arbores more felium conscenderit. Sane, ne quid vacui remaneat in pagellis, multa sæpè vana vani addunt homines, & his talibus efficiunt, ut ne vera quidem loquentibus adhibeatur fides. Hoc pro certò affirmare possumus, ipsum, radicibus exesis priùs, occurrentes sibi arbores prostertere, & vel totas, vel prout humiditas permittit, & flamma valet, concremare.

### QVÆST. X.

*Cujus profunditatis sit terra ardens  
Schmidebergensis?*

*Resp.* *Plinius Senior*, vir multæ lectionis ac descriptionis, cum ex curiositate olim & studio incredibile naturæ mysteria scrutandi ad Vesuvium furibundum justò propiùs accessisset, mortuus concidit (ut *Sobrinus ejus divinat*) crassiori caligine spiritu obstructo, clausoqve stomacho, qui ipsi natura invalidus erat & frequenter intus æstuabat. Minori nos periculo Vulcanò Schmidebergico appropinquavimus; Cumqve hæctenus tutò ire licuerit per terræ superficiem, etiam in ipsa ejus viscera descendere, nulli dubitamus. Non unius autem ejusdem undiqve profunditatis est. Alibi enim unum saltem cubitum ardore suò adæquat, alibi unum cum dimidio, vel ad summum duos. Neqve tamen ignis ibi incipit cessare, ubi desinit accendi terra. Nam & sine inflammatione sæpius existit. In aëre æstivo copiosus ignis est, in eòdem tamen incendium non est.

Suum



Suum ignem habet lignum, suum sulphur, suum bitumen; sed nullum alit flammam, nisi accensum. Quod verò ignis ille profundiora terræ cum superioribus non vastet, propterea putamus fieri, vel, quia deficit combustibilis materiæ fomes; vel quod abest spiraculum, cuius beneficio aër attrahi sufficienter ad ventilandam flammam possit.

## QVÆST. XI.

*An ex fumò ac fœtore isto nemo sibi hætenus contraxerit morbum?*

*Resp.* Nocet sulphur ac bitumen, nocent fumi sulphuris bituminisque. Cum accendimus candelam mediante sulphure, sulphur cerebrum mox petit, atque graviter pulmones lædit. Locus est in agrò *Caretanò*, quem sulphureas ob expirationes, tanquam sibi contrarias lethiferasque maximè abhorrent aves. Græcis dicitur *ἀερος*, id est sine avibus, cui in Latìo *avernus* respondet. Si quando autem halitum ejusmodi vel ibi fortuitò vel alibi hauserunt, vertigine quâdam in transversum actæ, aut aquis suffocantur, aut saxis atque solo illisæ percutunt. Optimè res *experimento* discitur. Ponatur intra caveam passerculus, infra caveam verò sulphur cum bitumine accendatur, & ecce vel ad primum fumi odorem, aperto ille ostiò fugâ vitæ consulturus suæ evolabit; sed vertigine invalescente, tandem more ebriorum concidet in terram, & nisi frigidâ subveniatur, ipsâ vitâ certo certius deficiet. In Angliâ, ubi carbones fosfiles seu bituminosi magna copia ex Scotiâ delati ligni vice adhibentur, per graveolentiam eorum obnoxii cum primis solent fieri infirmitatibus pulmonum. Unde, Comite *Digbeò* teste, in *Oratione de Pulv. Sympath.* p. 46. dimidia pars eorum, qui Londini moriuntur, moriuntur vel ex phtisi, vel ex *pnevmoniâ*. Quinimò quod majus longè est, & propius ad rem accedit, *Schmidebergæ* (loquor ex relatione civium) ob odores fœtidos eisdem nata olim pestis est. Hodiè quidem,

B. 3.

dum.



dum sulphurei fumi denuò ex incensâ illa planitie adscendunt,  
& per omnem vicinam regionem abeunt, incolarum pecora  
numerò non exiguò emoriuntur. Ipsi verò quanquam liberi  
fuerunt hætenus à morbo, non fuerunt tamen liberi à metu.  
Hinc etiam non pauci incertos rerum eventûs pertimescentes  
pharmacis, quæ vocant præservantia, utuntur. Et sanè si ha-  
litus isti copiosi nihil aliud oppido afferrent mali, satis esset,  
quod aëre nimis condensatò respirationem difficilem reddant,  
& sic non parum sanitatem hominum sollicitent. Audiatur  
hâc de re *Cornelius Consentinus*. Progymnasm. VII. p. 311.  
*Non quivis, ait, aër ad respirationem utilis salutarisq; esse  
videtur. Siquidem in quibusdam terræ cavernis puteisq;  
homines statim spirandi difficultatem sentiunt, mox etiam  
animi defectionem patiuntur, ac demum, nisi opportunè fue-  
rint extracti, emoriuntur. Jam quæcumq; in ejusmodi ca-  
vernis observantur, solent etiam in iis locis successu  
temporis contingere, quæ ab aëre præter  
modum crasso densaq; obsi-  
dentur.*

Tantum.

S. D. G.





**Q** Vid postulas, ut igneas mentis tuæ  
 Vires, & insomnes Camænis deditas  
 Noctes, gravesq; litterarum conditas  
 Opes, quibus repleta sunt præcordia,  
 Deprædicem versu pedestri? Nam tua  
 Non indiget præcone virtus, quæ posita  
 In omnium conspectu & in propatulo.  
 Habebis eruditionis inclytæ  
 Industriæq; strenuæ testes tuæ  
 Tot, Leucoris quot habet Scholas. Et pagi-  
 na hæc,  
 Populantis agros flammulæ quæ semina  
 Et pabulum scrutatur, arguit satis  
 Æstu scientiæ calentes spiritus.

*Scr.*

*Politisimo atq; eruditissimo*

**DN. Respondenti**

amico suo per dilecto

**GEORGIUS Green / P.P.**

*Con-*



**C**onscendis cathedram magnâ cum laude So-  
phorum,

Et promissas dotes nobilis ingenii.

Perge tuos mores. Nec poenituisse laboris

Te poterit. Laurum proximè Apollo dabit.

Gratulab. hæc Per eximio atq;

eruditissimo

**DN. RESPONDENTI,**

amico suo suavissimo apposuit

**Præses.**

---

**A**rdua res est, rerum penitus cognoscere causas,  
Poscit & ingenii nobilioris opes.

Te juvat hoc studium GIBERTE suavior illo

Melle, quod in ceris Attica ponit apis.

Quod tuus hic monstrat benè subterraneus ignis,

Qui Schmidenbergæ plurimus urit agrum.

Macte labore Tuo! plaudit Tibi Phœbus Apollo;

Et spondet studiis digna brabea Tuis.

Ipsa favet studii Mater celebrata, BARUTHUM,

Atq; Tibi tandem præmia grata feret.

Floreat in feros Patria urbs feliciter annos,

Cujus ego semper munera larga canam!

*Hiscæ*

*Contubernali suo Candidissimo*

*gratulari voluit*

**Johannes Henricus Martius,**

**Curiâ Variscus.**





05 A 2036

ULB Halle 3  
003 785 351




WDA











Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

PHYSICÆ

DIO

CO

GAM

in examini

M.DC. LIX.

ri,

HMAIERO,

TO,

\*\*\*\*\*

ende.

*M. G...*